



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Quæst. I. An creaturas secundum statum possibilitatis cognoscat Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

terminent cognitionem, eadem est, & communis difficultas. Triplex igitur cuiusmodi obiectorum status à Theologis recognoscitur. Primus possibilitatis, qui amplissimus est, ac proinde prioritate maioris vniuersalitatis, quam vocant, primus. Secundus, proximo strictior, ampliorque sequente, quare & eodem vniuersalitatis ordine inter vtrumque medius, est futuritionis conditionata, contingentium scilicet, & liberorum: quæ non solum possibilia sunt; sed sub aliqua conditione existerent, si ea apponeretur: cuius tamen appositio, vel negatio pro eo statu absolute non est; sed solum in hypothese, quæ nec absolute esse, nec non esse absolute dicitur: ac proinde, quod sub ea hypothese fore dicitur, non dicitur absolute esse: vnde proloquio vulgari conditionalem nihil povere in esse dicimus.

2. Anonymus quidam apud Anatum nostrum d. 2. contra ipsum cap. 3. num. 51. medium hunc statum conditionatæ futuritionis contingentium rerum, quibus solis est proprium, non admittit; sed negat absolute: quia putat conditionata, quorum conditio purificatur, futuraque absolute proinde sunt non esse quidem futura conditionata; sed absolute; quæ autem futura absolute non sunt, nec esse sub conditione futura; sed mere possibilia: quia in re non solum à reliquis; sed à Dominicanis etiam Thomistis discordat: licet enim hi conditionata, vel ad simplicem intelligentiam, vel ad visionem putent pertinere, statum tamen illum futuritionis conditionatæ contingentium diuersum ab statu possibilitatis eorum recognoscunt, atque ad illum statuendum decreto Dei absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus esse contendunt, ut suo loco videbimus; & confutabimus; reuocant autem eius status, & veritatis conditionatæ cognitionem, vel ad scientiam simplicis intelligentiæ: quia ex decreto de futuritione conditionata contingentis ad ipsam conditionatam futuritionem consequentia omnino necessaria est, non minus quam hæc: si est homo, est animal rationale, vel ad visionis scientiam, quia est status, quem ponit liberum, & absolutum actuale Dei decretum. Licet autem hæc suas difficultates patiantur, & repugnantias; tamen diuersa sunt ab Anonymi sententia statum illum conditionatum ab statu futuritionis absolute in conditionatis, quæ absolute sunt pro aliqua temporis differentia, vel ab statu possibilitatis inconditionatis, quæ nunquam absolute sunt, non admittente.

3. Singularis autem opinio hæc. Etenim futuritio conditionata, ut ab absolute futuritione, vel non futuritione contingentis præcindit, absolutam eius futuritionem, vel non futuritionem non dicit, & tamen aliquid aliud dicit, quam eius possibilitatem. Etenim cum de homine, & genio, & vlti fute sui pene impote, dicimus, si incideret in arcam pecuniosam furaretur, nec solum furandi periculum, & probabilitatem; sed futurum fore iudicamus, iudicamus simul possibile, ut non furaretur, siue possibile etiam tunc esse negationem furti. Item Christus Dominus cum dixit conditionatam Tyrionum fidem, & penitentiam sub conditione signorum, quæ facta Bethsaida fuerant, simul iudicabat esse negationem fidei, & penitentiae illorum possibilem: eo enim ipso, quod contingens aliquid est, eius negatio possibilis esse debet: licet autem in vtroque casu negatio furti, & penitentiae Tyrionum possibiles tunc sint, & iudicentur ab his, qui furtum, & penitentiam sub eis conditionibus fore iudicant: tamen vtriusque negationes non sunt futuræ conditionatæ sub eisdem conditionibus: in nulla quippe hypothese potest idem esse, & non esse simul, si hypothesis ipsa contradictio, & chimæra non sit: ergo futuritio conditionata contingentium illarum negationum, ac proinde positio contingentium diuersum quid ab statu possibilitatis est.

4. Secundo: si negatio conditionata, quæ absolute est, quia eius oppositum absolute non est, à possibili præcisue, vel futura absolute negatione non differt: cum negatio penitentiae Bethsaiditarum, & Corozaitarum æque possibilis, & absolute suo modo existerit fuerit atque Tyrionum penitentia, æque etiam fuit sub conditione signorum futura in hac sententia, atque fuit penitentia Tyrionum sub conditione illorum signorum; hoc autem & falsum esse constat: quia eis positus signis eorum penitentia non ad fuit; & quia alias eluditur increpatio scilicet Christi Do-

mini. Respondet, male differe solum nostrum concipiendi, & enunciandi modo, non autem ex parte obiecti, futuritionem conditionatam ab absolute, & possibilitate. Si enim absque vilo fundamento ex parte obiecti, arbitrarieque modus noster concipiendi, & enunciandi tam facit diuersitatem, Christus Dominus, imo & nostrum quis pro suo quilibet arbitrio potuit facere Corozaitarum penitentiam conditionatam, & contra, conditionatam sub eisdem signis negationem penitentiae Tyrionum: conueniente merito illi posuit Christum non eo modo idemmet obiectum penitentiae suæ quoad status alios duos veros ab Anonymo admissos, atque penitentiae Tyrionum voluisse cognoscere, & enunciare, ut conditionata (eo modo, quo per Anonymum posuit) sua, sicuti, & Tyrionum penitentia euaderet; vel eo modo penitentiam Tyrionum cognoscere, & enunciare, quo non euaderet conditionate futura, ut eorum comparatione dire adeo non increparentur; sed quæ velana, & dementis increpatio esset infidelitatis, & impenitentiae comparatione Tyrionum, quorum impenitentia ex se in omni statu vero, ac non ficto æqua erat eo præcise quod alius aliter, atque aliter de vna, atque de alia, voluit concipere, & enunciare. Debet ergo ex parte obiecti aliquod fundamentum esse, ut conditionata verè talia, nec solum possibilia, vel futura absolute verè enuncientur, nec arbitrio nostro futura conditionate sint, quæ talia non sunt, vel contra ab vtroque illo statu diuersum quod quidem fundamentum status conditionatus est.

5. Tertius, & strictior, minusque vniuersalis obiectorum status est absolute existentie de præcise, vel pro quouis temporis differentia, siue præcise, siue futuri: & sane de existentibus actu creaturis à Deo secundum seipsas, & ut absolute in se sunt, cognosci à nemine negatum video: quia ex hæcenus disputatis, nulla in eo vel vmbra difficultatis apparet. Pro eis enim aperte militat omnis, quæ pro cognitione creaturæ, & negationum secundum seipsas, & in se dedimus. De eis quippe negari ab illo nequit esse absolute, ac verè entitatem, veritatemque, & cognoscibilitatem sufficientem terminationi cognitionis diuine. Solum ergo disputandum restat de obiectis à Deo extrinsecis secundum tres illos status: possibilitatis, futuritionis conditionatæ, futuritionis, & (quod idem ad præcise est) præteritionis absolute. Cum enim pro nullo eorum statu absolute sint, imo vero eorum plura absolute non sint; sed solum vel esse possint, vel sub tali conditione essent, vel pro alia duratione à præcise erunt, vel fuerint: quare actu, & de præcise entitatem, veritatemque metaphysicam absolute non habeant, neque cognoscibilitatem veram videntur habere, neque cognitionem Dei etiam per aliud medium determinatam terminare (necum determinare) vquam posse. Disputabimus autem de positius obiectis solum: ex quibus ad negationes eorum pro eisdem statutis facili negotio doctrina à quouis poterit facile deduci: siquidem quoad status à positius non differunt.

Q V Æ S T I O I.

An creaturas secundum statum possibilitatis cognoscat Deus.

POSSIBILIA dupliciter dicuntur: nempe possibilia pure, seu tantum, quia earum existentia non datur, sed potius eorum remorior, & possibilia præcise, ut à sui actuali existentia, quam habent, vel absolute sui negatione præcise. Cum autem vtrique in conceptu, seu statu possibilitatis conueniant, licet prima statum absolute existentie suæ secludant, atque eius negationem importent; secunda verò statum existentie habeant, siue negationem de facto, ac re ipsa excludant: quidquid de alterutris secundum illum statum, in quo conueniunt, à Deo cognosci probauerit, probabit etiam à Deo secundum eum statum de alteris.

CERTAM.

CERTAMEN I.

Affirmativa sententia eligitur.

1. Possibilia, siue obiecta Deo extrinseca secundum statum possibilitatis ab ipso non cognosci in se videntur docere Henricus, quodlib. 9. qu. 2. post med. Ægyd. in 1. d. 35. qu. 3. Arg. qu. unica Ricard. qu. 3. corp. & q. 7. ad 4. Capreol. qu. 2. art. 1. concl. 1. Cathulian. quæst. 1. post med. Bonavent. d. 39. art. 1. quæst. 1. §. *Argumenta*. Albert. 1. par. qu. 60. met. 2. Alexand. 1. par. qu. 23. m. 2. Bannez. & Zúnel ad 1. par. qu. 14. Ioan. de S. Tho. ad qu. 18. art. 2. Molina ad q. 14. ar. 5. d. 1. m. 2. Soan. lib. 3. c. 2. Ruiz d. 10. sect. 2. n. 2. referuntur etiam Aureolus in 1. d. 35. 1. par. ar. 4. & par. 2. art. 4. §. *Nec valet*. & proposit. 3. ad 6. & 7. Valentia d. 1. qu. 14. punct. 7. Palqualigus d. 23. lect. 4. & d. 24. lect. 1. possuntque eadem fide, qua Valentia, & Palqualigus citati Doctores omnes, quos d. 4. qu. 3. referebamus pro sententia negante creaturas in seipsis cognosci à Deo: illi enim cum Valentia de possibili creaturis speciatim loquuntur, eoque ducuntur argumento, quod pro ratione ordinandi dispensationis huius præfatione adducebamus, scilicet: possibile secundum statum possibilitatis præcisiue necque esse, necque entitatem in se habere: ac proinde necque veritatem, necque cognoscibilitatem: quare necque à Deo cognosci posse: maxime cum verbum *est*, absolute prolatum existentiam denotet obiecti, quam nullatenus creaturæ in eo possibilitatis statu habent: ac proinde non nisi falso: ac deceptione passus, aut actus, seu mendacio eas esse iudicari, dicere possit, quod Deo repugnat: quare prope in ipso eiusque omnipotentia sunt cognosci à Deo possunt, vt Valentia, & Palqualigus videntur expressius docere.

2. Sed certè si ea ratione Doctores citati, vt sonat, ducuntur, non solum negarent creaturas posibles in seipsis, seu determinatiue à Deo cognosci: sed & secundum se ipsas, seu determinatiue cognosci ab ipso, quod enim secundum se veritatem, seu cognoscibilitatem absolute non habent, non solum determinari: sed, & terminare, cognitionem sui nequit. Quare consequentissime Palqualigus vtrique expresse negauit d. citata 23. lect. 4. licet, quoad terminationem diuini culè possibilitum, qua talium cognitio Deo absolute negatur. Censeo ergo, quoad horum Doctorem, & consequentiam, & mentem primò terminatione cognitionis diuine ad determinationem, vel e contra, in quouis obiecto, ac proinde in creaturis possibiliibus, legitimam esse consequentiam vti ex d. 4. q. 3. satis constat: licet respectu cognitionis, & intellectus creati consequentia non teneat: quia imminet, ac summe cognoscituum, atque illa omniſſentia, seu omniſſe præfatio formalis in creatis non citat proinde necque omnem veritatem, modumque cognoscibilitatis obiectorum attingere debet.

3. Censeo secundò: præfatos Doctores mutam hanc à terminatione ad determinationem diuine cognitionis in obiectis possibiliibus, siue secundum statum possibilitatis consequentiam nulum ignorasse: sed potius negasse vtramque: non quidem eo sensu, qui diuini culus, vt dixi est, atque communiter ex ipsis refertur (ni tardiores aliquot ex illis excipias) scilicet, quasi negent absolute creatura secundum statum possibilitatis determinare, ac terminare diuinam ipsorum cognitionem, siue secundum propriam quidditatem, & essentiam, atque essentialem ipsis, & necessitatem veritatem in seipsis. Solum enim negant cognosci à Deo secundum aliquod eorum esse, atque in eo proprie esse, quod extra Deum reuera in creatis secundum statum possibilitatis præcisiue sumptæ de facto sit: quod nullatenus esse multis, atque efficacibus rationibus merito ostendunt: cum quibus id ipsum nos inferius, dum difficultatis, & rationem dubitandi solutiones aliquot resellimus. Itaque minus distinctè, confusiusque hi Doctores locuti sunt: ac proinde vocibus solum à verò distingere videntur.

4. Secunda, & communior sententia est, creatura omnia secundum possibilitatis statum, siue, vt possibilia secundum proprias essentias determinatas, atque in seipsis à Deo

cognosci: est sententia (me iudice) concors Scotistarum, & Thomistarum scholæ vtriusque, Dominicanæ, & Iesuiticæ. Atque in primis est sententia S. Thomæ 1. p. q. 14. a. 5. & 6. ad primum ar. 13. corp. q. 57. ar. 3. corp. 2. 2. q. 171. ar. 6. ad 2. 1. contr. gent. c. 66. line. q. 2. de verit. ar. 4. & 6. & in 1. d. 38. q. vnic. ar. 5. corp. Ferrar. ad locum citatum contr. gent. S. Bonau. in 1. d. 39. art. 1. q. 1. Richard. d. 35. ar. 1. qu. 4. Durand. qu. 2. Gregorij Arim. qu. vnic. Argentinæ, qu. vnic. couel. 4. Molina ar. 9. Soar. lib. 3. cap. 2. licet pro opposita, vt vidimus, referantur: quia in sensu à nobis explicato loquuntur. Item Caietani 1. part. q. 14. ar. 6. vbi Bannez pro opposita etiam citat, Valquez d. 60. c. 2. Ruiz d. 11. lect. 3. & 4. Scoti in 1. d. 36. qu. 1. qu. vnic. & in 4. d. 1. qu. 2. art. 1. quibus locis communiter Scotiste Rada 1. part. contr. 28. cap. 3. Maior in 1. d. 35. qu. 1. & 2. Smiling. 3. de Deo vno d. 2. qu. 3. Quiros & alij citati à nobis d. 4. qu. 3. cert. 2. pro prima, & tertia sententia, & certam. 4. pro nostra tertia conclusione.

CERTAMEN II.

Deus creatura possibilia secundum suæ possibilitatis statum secundum se ipsas cognoscit.

1. Dvplcem habet partem conclusio, & quoad primam de cognitione diuina secundum proprium quidditatum, licet non actualis existentie determinatum, & proprium esse à nemine præter Palqualigum & Ioannem de S. Thoma negatum video, qui in benigniorem sensum intelligi nequeant. Probat ut quoad hanc partem conclusio, quæ, me iudice, fidei dogmatibus proxima est. Primò enim de fide est, Deum pro sua voluntate, & arbitrio perfectissimo omnia fecisse, vt in se facta de facto sunt: ergo eorum, quæ faciendæ erant, cognitionem præhabuit: aut non potuit eorum, vt existentium cognitionem præhabere: neque enim pro illo priori, quo faciendæ, seu factibilia voluntati diuine proponebantur ante decretum de eorum effectione, & absoluta existentia (quod existentie eorum causa efficiens, vel potentia effectus Dei, sine omnipotentie applicatio est, ac proinde absolutam eorum existentiam præcedit) exiſtunt absolute: ergo pro eo priori proponebantur Deo in statu præcendente ab existentia absoluta, ac proinde possibilitatis præcisiue. Confirmatur: quia pro tunc natura proponuntur à Deo, vt fiant, & ab eo recipiant esse: ergo non facta, neque existentia absolute: alioqui proponerentur, vt Deus actum agerer, agereque actum decerneret.

2. Confirmatur secundò: quia, vel proponuntur vt existentia à Deo, & hoc repugnat habere ante decretum, ad quod ea propositio Deum sollicitat: vel ab alio sine Deo: & hoc etiam repugnat, cum essentia sua creata à Deo pendeat: nec sine Dei concursu absolute esse visquam possunt. Confirmatur tertio: quia, si pro illo priori absolute facta, & existentia creata nouit, non posset earum negationem absolute ponere, cum ad apponenda simul duo contradictoria potestas vera, ac non chimærica nullatenus sit: ergo ea non appositæ ex arbitrij libertate: ac proinde cognitio creaturarum, quæ ad libertatem Dei in creatorum efficientia adstruendam admittitur, eam omnino destrueret. Iam verò, si ea, quæ de facto creata à Deo sunt, prout à suæ absolute existentie statu præscindunt, siue in statu possibilitatis præcisiue cognita à Deo fuerit: idem de reliquis creatis possibiliibus dicendum necessario est. Tum, quia hæc in statu illo cum creatis omnino conueniunt: tum, quia hæc ex electione præ aliis possibiliibus, quæ omisit, & condere posset effectus: neque enim hæc solum, quæ effectus, posse à se fieri, nouit Deus. Porro discursus & confirmationes istæ æquæ de negationibus in statu possibilitatis probant: cum ex libertate apponendi, vel non apponendi ea de facto in rerum natura posuerit, atque cætera non posuerit: ad quod effectione sue & existentie creaturarum omnium negationes, antequam suo modo

hæc absolute

absolutè essent in statu etiam prædictæ possibilitatis debuit prænotare.

3. Dices cum Rasqualigo citata d. 23. sect. 4. num. 33. Deum pro illo priori solum cognoscere possibilia, ut in potentia sunt: scilicet, ut in seipso, ac in sua potentia continentur, quomodo distincta, & determinata entitatis, ac esse proprii acti non sunt; sed esse divini, atque distincta, seu distincta in potentia solum: ex qua cognitione possibilibus in seipso, siue secundum esse non proprium eorum; sed diuinum directum solummodo Deum ad condenda omnia aiebat Augustinus 5. de Genes. ad litteram illud Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat, his commentans: In qua vita vidit omnia, qua fecit, & sicut vidit ea, ita fecit: non prater seipsum videns, sed in seipso.* Locum Augustini explicui d. 4. qu. 3. cert. 4. n. 5. loqui Augustinum de visione creaturarum, tanquam scientia earum, seu omniscentia in seipso tanquam specificatione: Adde (quod verius, & germanius iudico) loqui Augustinum de cognitione ideæ, siue exemplaris etiam creaturarum, quod extra se positum videtur à Deo negat, quemadmodum & quæst. 46. ex libro octoginta trium dixisse vidimus eadem d. 4. qu. 1. certam. 2. num. 2. *Non enim extra se quidquam positum instruebatur, ut secundum id (siue ex eius imitatione) constitueret, quod constiterat.*

4. Sed iam solutionis doctrina impugatur: quia, licet facienda secundum modum, & substantiam ea faciendi, ut actu facta, & absolutè existentia secundum proprium esse, non debeat Deus cognoscere, ut libere ea secundum substantiam, & modum, quo ea fecit, producat; aut eius quod faciendum, vel non faciendum erat, quoad substantiam, & modum effectiōis ad libertatem effectiōis eorum debet præhabere cognitionem ante absolutum, imò, & conditionatum etiam ex parte obiecti (si hoc etiam necessarium sit) decretum, de eorum quoad substantiam, & modum effectiōis: atqui creaturæ secundum esse diuinum in quo eminentialiter, & potentialiter sunt, ac sunt ipse Deus, utraque diuina, faciendæ, factibilesque à Deo non magis sunt, quam Deus à seipso faciendus, & factibilis siue: ergo à Deo cognosci debuerant factibiles secundum esse proprium. Confirmatur: quia in huius, nostræque, & veriori sententia, quæ Deum, eiusque omnipotentiam absolutam à possibilitate creaturarum, creaturæ siue possibilibus itatur, non magis continetur Petrus possibilis, quam hircoceruus impossibilis, verque enim non continetur absolute; conditionate verò sub hypothesei possibilitatis continetur verque: ergo in continentia eminentiali Dei secundum esse diuinum non magis cognoscitur absolute factibile à Deo, quod est possibile, quam impossibile, nisi possibilis prius prædicata videatur, non repugnantia, possibilia absolute, siue vera absoluta sui possibilitate, ut contendimus. Confirmatur secundo: quia id Deo proponitur, ut fiat, quod vult facere decreto suo: atqui vult facere creaturas secundum proprium earum esse, non autem secundum esse diuinum, quod in Deo habent, & in quo sunt ipse Deus: ergo eas secundum esse proprium earum cognoscit: non ut actu factum, & existens; sed ut factibile, & possibile.

5. Probat uterque conclusio: quia Petrum secundum proprium esse, v.g. esse possibilem verum & cognoscibile est: ergo & à Deo omniscentia necessario cognoscitur. Consequentia est certa, & sequitur à nobis probata. Antecedens probatur Primo: quia id ita à nobis verè cognoscitur: neque negari nisi falso potest, Petrum esse possibilem, seu habere in suis prædicatis intrinsicis non repugnantiam, seu aptitudinem ad existendum, quam non habet hircoceruus, seu aliud quidpiam impossibile, in quocumque olemum ea non repugnantia, & aptitudo ad existendum, seu possibilitas, aut potentia logica existendi formaliter constituitur, eique opposita repugnantia, & ineptitudo ad existendum, siue impossibilitas, & impossibilitas logica existendi. Id quod facile in quavis de possibilitate rerum, & impossibilitate chimætarum sententia elarebit. Etenim si possibilitas sit iuxta communioem iam sententiam Recentium politiorum in hac veritate conditionali necessaria: Si Petrus existat, non existet duplex contradictorium, velut Marciani malunt, Si existat habebit potentiam ad existendum, imò (ut falso nonnulli dicunt) licet possibilitas creaturarum sit ipsa omnipoten-

tia Dei, vel iuxta veriore ceteris opinionem nostram iam attingendam, Id quidem cognoscibile, ac verè cognoscibile est, ut patet.

6. Nec valer, id ita esse à nobis verè cognoscibile relate non ad veritatem possibili obiecto intrinsicam, quæ nulla est, sed ad conceptum, seu veritatem obiectivam, quam fingit mens nostra, dum possibile iudicat: quia aliter ipsum cognoscere, ac de eo iudicare nequit quod in Deo locum non habet. Contra enim est. Primo: quia de eo esse obiectivum, & rationis puro, siue quod possibile non cognoscimus, verum non est, posse reuera existeret: sed licet sub eo tegumento, aliud cognoscitur, de alioque iudicium fertur, nempe de quidditate, & prædicatis Petri, dum possibile iudicatur: ut, dum, quia aliter Deum, & Angelum, quam, ut corporeos cognoscere pro hoc statu non valemus, de sic conceptis spirituales esse iudicamus, & verè iudicamus: quia de re ipsa asserimus non de corpore illa veste, quæ ex parte obiecti illos necessario pro hoc statu vestimus. Secundo, quia licet chimæra cognita illud esse obiectivum ratione nostra contingat, non tamen sunt, aut indicantur verè possibilia, neque ut talia à Deo cognoscuntur, cognoscive possunt: veritas possibilitatis, quam creaturis possibilibus tribuimus, in quavis de earum possibilitate sententia, & explicatione, non est illud esse obiectivum, & rationis, quo possibilia necessario induimus, cum de illis cogitamus: sed proprium, & quidditatum eorum esse ab illo profus in sui veritate indepēdens, licet dependens ab illo sit nostra cognoscendi modus: quod est valde diversum.

CERTAMEN III.

Secunda nostræ conclusionis pars, & obiectiōum solutiones nonnullæ.

1. Secunda nostræ præfixæ cert. 2. conclusionis pars ex prima probata cert. 2. facile probatur ex dictis d. 4. q. 3. atque hic à tactis cert. 1. à n. 2. ubi ostendimus respectu cognitionis diuinæ necessariam ab obiecti terminatione ad determinationem consequentiam deducit: quia Deus ratione sui infiniti intellectus determinatus est ad omnis veritatis, seu veri cognitionem: tum quia eius infinita cognitio à Deo, ut intellectio principiorum, & obiecto, omniscentia, omniumque actualis representatio formalis eandem: quocirca extrinseca quævis veritas quæ satis est, ut terminet, satis etiam est, ut determinet diuinam suam cognitionem. Porro: quæ contra hanc conclusionem præcipue, atque speciatim militat aduersariis videntur, ea sunt, quæ ex S. Dionysio, Augustino, & Thoma d. 4. q. 3. cert. vit. n. 5. atque hic cert. 2. n. 4. disiecta à nobis sunt: quæ verò utramque conclusionem à ratione diffiilem reddunt, præsumulque disputationis huius præfatione ex defectu absolute existentia, quæ verbo est absolute prolato significatur: ac proinde, & cognoscibilitatis dissoluenda in præfationem erunt.

2. Scotus in 1. d. 36. q. vn. & in 4. d. 1. q. 3. a. 1. Rada 1. p. contr. 2. 8. c. 3. Smithing. tract. 3. de Deo vno d. 2. q. 3. & commentum Scoti apud eisdem à cognitione Dei circa possibilia actu ea produci à Deo volunt, non in esse physico, & reali; sed solum in esse cogniti, seu intentionali: ac possunt respondere, consequenter creata obiecta, licet pro statu possibilitatis præfixæ actu physice nec sint nec habeant entitatem, ac veritatem physicam, esse tamen actu in esse cogniti, seu intentionali, quod satis est ut habeant veritatem, & cognoscibilitatem. Sed contra: primo, quia, ut sint in esse cogniti, seu intentionali, oportet cognosci à Deo, atque ab ea cognitione esse illud intentionale recipere: ad cognitionem autem eorum supponi aliquo modo in ipsis debet esse seu entitas, veritas, & cognoscibilitas, quæ nec physica per te in eis est, nec intentionalis illa, quæ est post cognitionem earum, utpote per illam causata, & producta intentionaliter. Contra: secundo, quia vel illud esse intentionale est aliquid in rebus intentionaliter positum, vel sola earum denominatio extrinseca à diuina cognitione earum proveniens. Si hoc vltimum (quod verius certe est) asseras: aliter à Deo cognosci, cum nullum esse, aut veritatem obiectivam habent, quod est impossibile. Si primum,

vel illud esse obiectum intentionale est rationis purum opus, vel reale. Si rationis non possibilia; sed ens rationis actu habebit sum quale quale esse, & cognoscibiliter: si reale, vel illo existunt realiter, & actu possibilia, vel non existunt: primum pugnat cum statu possibilitatis; postremum difficultatem propositam non emollet.

3. Respondent alij possibilia pro statu possibilitatis habere quoddam esse reipsum distinctum à Deo, quod essentia est, & æternum non temporale; sed, & determinare, possunt quod non solum terminaretur, sed, & determinaretur, sine diuina cognitionem. Vnde eiusmodi propositiones necessariae, & æternæ veritatis dicuntur, v.g. Petrus est possibilis. Contra hanc doctrinam multo inuicetur stomacho postea Valentia loco citato. Neque absque quidem: licet enim veram solutionem ferè attingat, dum illud esse re ipsa à Deo distinctum esse ait: illud actu extra Deum absolute esse, & existere videtur admittere: quod falsum omnino est, atque in fide periculosum: cum constet omnia, quæ sunt, reuera à Deo distincta, à Deo esse facta, ac sine ipso factum esse nihil: & tamen illud esse possibilem prædicat à Deo factum minime est. Item cum statum habent possibilia plura, quæ nunquam erunt, in quibus aliquod esse absolute admitti nequit. Admittitur autem ab his: quia realis actualis distinctio duorum vtriusque existentiam realem actualem essentialiter importat. Denique illud esse quiddamatum esse æternum repugnat Scripturæ assertioni, omnia in tempore esse facta atque ex tempore, non autem ex æternitate existisse.

4. Recentiores alij, qui rerum possibilitatem ipsis omnino extrinsecam esse cum eodem Valentia defendunt, dicere possunt: possibilia creata secundum statum possibilitatis præcise veritatem quidem habere actu, & absolute: scilicet Omnipotentiam Dei, quæ eorum possibilitas est, à qua possibilia formaliter constituuntur: siquæ, & esse possibile, & veritatem actualem sortiri: atque ea omnia absurda cessare. Et sane cessare absurda præstata, si eorum opinio vera foret, certum mihi est; atque tamen certum, eam sententiam falsam omnino esse, ut controu. r. ostendi. Secundo ex ea admittitur inferri, Petrum possibilem non cognosci, & idem est de cæteris possibilibus. Etenim possibilitas omnium in hac sententia est Omnipotentia, possibile autem Petrus, Paulus, equus, & cætera, ut ab ea denominata, & extrinsecus affecta: vel ergo cognoscitur quod ex parte subiecti dicit Petrus ab omnipotentia denominatus possibilis, vel Omnipotentia, seu eius possibilitas sola. Si hoc habent aduersarij intentum, scilicet creaturas possibiles non cognosci; sed solum possibilitatem, quæ in creatum quid est, & diuinitum, quodque non magis est possibilitas Petri, quam Bucephali, imo & chimæ: quia non magis sunt possibilia ut præcise ab omnipotentia huius, quam illorum prædicata: cum nullam (ut sic dicam) possibilitatem imbibant, vel repugnantiam de se, si primum aliquid cognoscatur quod absolute actu non est. Confirmatur: quia, ut cognoscatur possibile concretum, debet cognosci non sola forma possibilitatis, sed subiectum illa affectum.

CERTAMEN IV.

Verior solutio.

1. **V**T expeditius respondeatur, suppono: possibilitatem creatam (de qua solum in præsentis loquimur) distinguere à Dei possibilitate, quam ab existentia imprecindibilem cum fundamento in re à nobis esse docuimus. Est enim possibilitas Dei eius existentia necessaria. Accursum esse distinctam à negatione necessaria existentie, in qua impossibilitatem chimæ constituebamus, nullamque iuxta veritatem in creatura, cum neque necessaria existentia sit, neque necessaria existentie negatio: sed existentia contingens quare sicut existentiam necessariam Dei in prædicato entis à se posuimus: & necessariam negationem chimæ, & impossibilitatem in prædicato negationis à se collocamus: quia seipsa, & essentia sua non sunt, & non existunt: sicut essentia sua, & seipso est, & existit Deus: possibilitatem creatam in prædicato entis ab alio

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.

constituendam censemus. In eo enim & aptitudo ad existendum, seu potentia logica existendi continetur, quo necessitas non existendi, quæ impossibilitas est, excluditur, & necessaria existentia, quæ Dei propria est: cum nihil, quod ab alterius arbitrio in suo esse pendeat, necessitatio esse possit.

2. Supponendum est secundo, existentiam à possibilitate, aut essentia rerum te ipsa non distingui: ac proinde neque ens, aut existens ab alio, ex quo manifeste inferitur sublata absolute è rebus existentia, seu ente actuali non remanere absolute in rebus ens possibile: formaliter autem metaphysice loquendo ens possibile, & existens ab alio neutre substantiæ acceptum, seu (quod idem est) possibile, & existentia ab alio creaturæ ab essentia metaphysica speciali creaturarum differt, sicut superius ab inferioribus metaphysicis, partique metaphysica à toto. Etenim ens ab alio substantiæ acceptum, siue possibilitas, aut existentia ab alio adæquate ab omnibus differentiis abstrahitur creaturarum, estque prædicatum vniuersum, & generalissimum genus earum, in quod omnes vniuersè conueniunt, substantiæ saltem species, ut latius ostendimus controu. r. metaph. neque admodum leuiter attingimus controu. de Trinit. d. 3. qu. 3. & d. 6. q. 1. ex quo patet, sublato eo prædicato, nullam speciem creaturæ, adhuc metaphysice manere possit: sicut sublato metaphysice animali, implicat metaphysice homo. Si autem ens possibile, aut actuale ab alio adiectiue sumatur pro existente, seu potente existere iure identitatis realis cum eo prædicato entis substantiæ, siue possibilitatis, & existentie, differentia inferiores entia, ac non repugnantia adiectiue metaphysice manerent: quia sic acceptum ens & existens differentias transcendunt, ut citatis locis dicebamus.

3. Ex his constat Tertiò possibilitatis entis ab alio prædicatum essentialiter metaphysicum prædicatum creaturis esse aequè, atque reliqua prædicata, quæ essentias metaphysicas rerum constituunt, v.g. prædicatum animalis, aut rationalis in homine quod sicut in materia necessaria propositionem constituunt, ita & prædicatū entis sumptū pro entis possibilis prædicato: quoniam verò possibilitas hæc existendi non est existendi necessario, ut diximus, prædicatum entis, seu existentis ab alio actu, & exercite, est idem ipsum, atque entis possibilis, ex parte obiecti prædicatum sit, est prædicatum contingens, atque in materia contingenti propositionem collocat. Vnde rursus cum statutum apud omnes sit, copulam propositionum in materia necessaria à tempore absolute: scilicet autem in materia contingenti sit plane hanc propositionem: *Petrus existit*, siue absolute est, à tempore non absolute: ac de Petro actu non existente tempore, quo profertur, quodque per copulam importatur, falsam esse: hanc verò: *Petrus est possibilis* quouis tempore, imò ex æternitate conceptam esse veram: quia ab omni tempore absolute, idque Doctores omnes volebant intelligi, cum hanc, & similes propositiones in materia necessaria æternæ, necessariæque veritatis esse, docuerunt. Ex quo patet solutio ad illud, quod pro aduersa sententia proponebatur: nempe, verbum *est* absolute prolatum actualem existentiam subiecti, & prædicati significare. Id enim in materia contingenti verissimum est: in necessaria verò (cuiusmodi creaturarum possibilitas est) prorsus est falsum.

4. Sed explicandum restat, quomodo subiectum, & prædicatum in propositione: *Petrus est possibilis*, aut *existens*, rationalis, & reliquis, quæ in materia necessaria sunt, accipiantur in sensu quippe, & acceptione reali, cum Petrus non est, nec subiectum est, neque prædicatum reuera, ut patet siquidem neque Petrus, neque eius possibilitas, quæ eius existentia identificatur, sunt, cum existentia Petri non adest, ut diximus. Id autem ita Recentiores nostri explicant, ut sensus realis solum conditionatus sit, licet conditionatum sensum non eundem assignent. Recentiores Complutenses hunc designant: *Si Petrus existat, non existet duplex contradictorium*. Murciani: *Si Petrus existat, poterit existere, seu habebit potentiam ad existendum*. Quemadmodum hæc propositio: *Si Petrus existat, erit rationalis, seu habebit potentiam rationandi*, & similes in materia necessaria: & utraque quidē conditionata propositio vera in sensu reali conditionato est. Sed Murcianorū postrema possibilitatis conceptum non explicat, qui quidē & prior, & independens ab existentia est: in ea autem propositione dependens ab existentia ponitur, atque cum ex parte rei entitas, & ens substantiæ, atque existentia, & existens idem realiter

Ecce 2 imò

imò & formaliter sint, erit conditio, & conditionatum idem, ac si diceretur: *Si Petrus existat, existet*, quod scientiis inutile, imò nugatorium est.

5. Prima etiam verissima est: quia impossibilitas est negatio necessaria, ut diximus, optimè explicata per hanc conditionalem: *Si impossibile existat, existet duplex contradictorium*: non quia duplex contradictorium in impossibilitate contineatur formaliter (ut male idem Recentiores cum aliis censent) sed quia, cum impossibilitas sit negatio à se, seu necessaria existentia impossibilis, atque in hypothese ponatur eius existentia, inferitur bene exitum contradictorium duplex, alterum negativum quod essentia sua imbibitum habet impossibile; alterum positivum existentia eius, quod ponitur in hypothese. Cum ergo nullo alio modo explicari aptius rerum possibilitatis possit, quam per oppositum impossibilitatis, cui contradicit, in sensu conditionato bene explicatur per conditionatum illum sensum horum Recentiorum: *si existat Petrus, non existet duplex contradictorium*; huc non existet simul ipsa, eiusque negatio. Ut simul existeret, si existeret chimæra: & tamen hoc totum conditionatum obiectum verum esse, ac proinde à Deo cognosci certissimum est; sed tamen neque hic est ipsissimus possibilitatis, seu creaturæ possibilis, qua talis conceptus (sicuti neque oppositæ conditionalis conceptus essentia impossibilitatis) sed quid illum consequens, ut vidimus, neque sensus iste ita realis est, ut à Recentioribus asseritur, atque, ut oporteret ad satisfaciendum difficultati. Nam status conditionalis nihil ponit in esse; sed potius ab esse absoluto abstrahit æque, atque possibilitas: quare de non existentibus verificatur, solumque mente nostra conceptus est: quia status conditionalis nihil magis in esse ponit, quam possibilitatis præcise status: cum hypothesis non ponatur; sed mente solum supponatur: maxime cum hypothesis, seu conditio idem ipsum est cum eo, quod sub ea fore dicitur, ut in presenti.

6. Solum ergo veritatem habent propositiones in materia necessaria in statu, & sensu obiectivo, qui quidem rationis, & fictus non est, licet realis actualis obiectorum non sit: quia absque mentis fictione esse reuera possunt, quæ ita concipiuntur: ac proinde non solum per rationem, sicuti fragmenta rationis, quæ esse nequeunt, habent esse: Nullo quippe cogitante, essent, sicut repræsentantur modo, quandoque existerent. Unde, licet illud esse per rationem, seu à ratione, ut iam explici, sit, ens tamen rationis non est. Est autem illud esse obiectivum, non quidem à ratione, seu cognitione prædicatis illis ex parte obiecti superadditum, ut nuper dicebamus, sed sola extrinseca denominatio cognitorum, subiectique, & prædicati terminis, seu prædicato, & subiecto materialibus propositionis illius ab ipsa cognitione, & iudicio obveniens: quod quid ex his, quæ experimento constanti didicimus plurius, quæ in rebus generis, specieve eiusdem existentibus, identice convenientium novimus, iure habetur. Inde enim ex parte saltem obiecti ab eorum existentia statu præcindendo (quia contingens est, ut diximus, ac proinde scientiis inutile) necessaria entium prædicata cognoscimus, quæ scientiis necessaria sunt, indeque prædicamenta rerum ordinamus, quidditates, siue essentias earum statuimus, dividimusque. Quæ in re multæ sunt supra rerum, & prædicatorum cognitiones, reflexi conceptus, & cognitiones: imò verò frequenter plura rationis fragmenta, sine quibus vix ea prædicata metaphysica (quæ quidem, ut diximus, non ficta) concipi à nobis pro hoc statu minime valent. Unde non omnino insipienter dicebat Murciani Recentiores possibilitatem, & existentiam entia rationis esse docuerint.

7. Quod si eorum prædicatorum essentialium species propriæ vndeque à nobis haberentur, quibus ea ab existentia exercita præcindendo in seipsis cognoscere mus, sine ullo vtiq; fragmentorum rationis iuvamine perciperemus. Cum autem ea Deus perfectius nostris intuitionibus videat, rectè de eis prædicatis, non solum apprehensionem, sed & iudicium, sine vlla fictione, & falsitate concipit: sicque iudicat Petrum possibilem, seu ens ab alio, ut ab statu existentia exercita (quæ reuera non nisi in individuis est) præcindat. Item esse animal: esse rationale: illo enim esse, seu copula est, non existentia exercita (à qua, ut diximus, eiusmodi propositiones ut necessarie & scientiæ sine, abstrahere debent) sed connexio metaphy-

sica identitatis prædicati cum subiecto cognito, & è contra importatur (quæ verè, ac sine vlla intrinseca ipsius fictione est; licet à nobis cum fictione etiam obiectiva cognoscatur) non autem tempus, quod solum in propositionibus contingentibus copula earum significat. Ex quibus ut interminis propositæ difficultati satisficiam, respondeo entitatem, seu ens physicum creatum, cuiusque physicæ veritatem nominis etiam physicæ existentem, & contingentem esse, ex quibus res in statu possibilitatis, siue puræ, siue præcise non sunt; aut entis, & veri, siue entitatis, & veritatis necessariæ metaphysicæ, quæquamque fictæ rationem (quæ solum scientiis ex vlu esse potest, ut diximus) possibilibus, reliquisque prædicatis convenire, ut ab existentia exercita abstrahentibus: ac proinde à Deo verè, & sine vlla fictione, falsitateve cognosci secundum se absolute posse: & similiter veritates illas conditionatas essentiali possibilitatis creatæ conceptum metaphysicè consequentes.



QVÆSTIO II.

An Deus certo cognoscat futura contingentia conditionata secundum se?

ECVNDVS ordine maioris vniuersalitatis à possibilitate status, mediisque inter illam, & absolutam rerum existentiam, & futuritionem, est status futuritionis conditionatæ earum, ac proinde an secundum eam etiam statum à Deo cognoscatur examinandum secundo loco venit. In qua quæstione plura ab aliis disputari video, quæ simul disputata confusione lectioribus offendunt, neque huius loci sunt propria: quale est illud, an futura contingentia conditionata cognoscantur in se, an in alio: in qua adhuc tres quæstiones latent: An scilicet in alio tanquam ponente, & afferente statum conditionatæ futuritionis rerum contingentium: quod est cognosci in alio, tanquam in medio materiali an in alio tanquam in medio formalis: scilicet, ducente Deum ad eius futuritionis vndeque posite, cognitionem. Rursus: an in alio tanquam indeterminatio aut verificatio diuinæ cognitionis: Quæ omnia ex aliis, atque aliis principiis definienda sunt: ac proinde seorsim siue locis disputanda, ut debita claritate, & methodo disponentur. Hoc igitur loco, & reliquis quæstionibus abstrahentes, solum examinamus: an futura contingentia conditionata secundum se, & conditionatæ futuritionis statum à Deo cognoscantur? Oportet autem primo, ut materia disputationis propria ab aliis, quæ ad eam non pertinent, segregata innoscat, rigide eam à reliquis in primis discernere.

CERTAMEN I.

Quæstionis materia propria, & pura statuitur.

1. Futura conditionata contingentia in præsentem quæstionem vocamus, non conditionata quævis obiecta contingentia absolute in essendo, sed solum quæ contingentia sunt in ordine ad causas, seu condiciones, sub quibus futuræ sunt, seu enuntiantur, si illæ apponerentur: quia hypothesis causarum illarum, sub quibus, si apponerentur eiusmodi contingentia essent, non ita oppositum futuri illius excludunt, ut ad illud loco futuri apponendum ab eiusmodi causis absolutam potestatem, & libertatem, quare & futurorum contingentiam excludant. In hoc quidem nemo Theologorum Catholicorum discordat. Certum enim apud omnes Doctores Catholicos est futurum liberum contingens, & in quouis statu, siue absolute, siue conditionatæ futuritionis libere, & contingenter à suis causis prodire: ac proinde, progredi ab eis cum earum potestate, siue in sensu composito, siue diuiso ad non agendum,